

dum: aut denique materiæ ad alias partes fit conversio & transpositio.

(r) *Med. pract. lib. 1. cap. 2.* §.16. Si caput petat, dolores, deliria, & alia symptomata excitat. *Hercules Saxonia* (r) mentionem facit *Episcopi Phocensis*, cui ex anginâ hemicrania contigerat.

(f) *f. 5. aph. 20.*

§.17. Si ad pulmones fiat conversio, malum est: nam intra septem dies moriuntur: quos si effugerint, purulenti & empyici evadunt, teste *Hippocrate* (f).

§.18. Si materia ad pleuram tendat, pleuritis, si ad spinæ medullam, nervosque, convulsiones metuendæ. Si cor petat, palpitationem, syncopen & alia infert symptomata.

## CAPUT IX.

**I**NDICATIO est triplex. *Curatoria*, quæ morbum, *Præservatoria*, quæ causam, *Vitalis*, quæ vires respicit.

§.1. Morbus est *Inflammatiō*, quæ cum sit morbus compositus ex intemperie & auctâ magnitudine, indicat intemperiem hanc esse alterandam per contraria, & cum sit calida, per refrigerantia. Aucta magnitudo ex usu artis nihil indicat, cum causâ remotâ & ipsa evanescat.

§.2. Causa est *sanguis* sive *purus* sive *cacochymicus*, quæ consideratur dupliciter, quatenus est in fluxu, & quatenus jam influxit. Dum est in fluxu, indicat, revellendum esse à parte affectâ ad partem oppositam & distantem. Cum fluxit, & adhuc in venis capillaribus subsistit, aut in parte fluctuat, repellendum erit: quando verò jam extra vasa est effusus in faucium spatia, nec repellentia admittit, particularem evacuationem postulat, sive ea fiat insensibiliter per discutientia & digerentia, sive sensibiliter, per abscessus apertionem, si ad suppurationem pervenerit.

§.3. Vires conservabimus per alimenta morbo congrua, ut & per medicamenta corroborantia adpropriata, & partem affectam respicientia.

CAPUT